

porum cœlestium, stellarum omnium ac planetarum ortus, obitusq; speculatur: Pari ratione omnium constellationum, & signorum figuras, & imagines considerat, veraq; loca tam stellarum fixarum, quam errantium, quas Planetas vocant, certissimo docet calculo supputare: Si militer planetarum progressus, status, regressus, coniunctiones, oppositiones una cum eclipsibus luminarium, solis videlicet, ac Lunæ, & id genus alia propemodum infinita, diligentissime inquirat. Atq; hæc Astronomia explicatur parti in *Almagesto*, seu magna constructione *Ptolemæi*, vel etiã in *Epitome Ioannis Regiomontani*, in opere *Astronomico Albategnij*, in opusculo *Alphragani*, in *Theoricis planetarum Georgij Peurbachij*, in reuolutionibus cœlestibus *Nicolai Copernici*, & in alio vñ fere innumerabiliũ auctoriũ voluminibus: Partim instrumentis quã plurimis ab Astronomis summa industria ad hoc inuentis, vt motus cœlestes nobis ob oculos ponerent, quale est, *Astrolabium vulgare*, seu *Planisphæriũ Ptolemæi*, *Astrolabium Gemmæ Frisij catholicum seu vniuersale*, *planisphæriũ Ioannis de Roias vniuersale quoq;*, *Annulus Astronomicus*, *Quadrans*, *Torquetum*, *Radius Astronomicus*, & id genus alia: Partim deniq; docetur *Theorica Astronomia* in ea parte, quæ dici solet *tabularis*, eo quod per numeros in tabulas digestos Astronomi Cœlorum motus scrutentur, quales sunt tabule *Alphonsi regis Hispaniæ*, *Ioannis Regiomontani*, *Ioannis Blanchini Ferraricnsis*, *Nicolai Copernici*, quæ tabule *Prutenicę* nunupari solent, & multorum aliorum.

PRACTICA vero Astronomia, quam alij *Iudiciariam*, seu *Prognosticam*, id est, *Diuinatricem* dicunt, omnia ista ad vsũ vitæ humanæ accommodat; Contemplatur enim coplexiones, & naturas tum signorum, constellationumq;, tum etiam Planetarum, reliquarumq; Stellarum, explicatq; quenam signa sint calida, quæ frigida, quæ temperata, quæ masculina, quæ sæminina, & id genus alia. Rursus ex motibus orbium, & stellarũ futuros euentus in hisce inferioribus prædicit. Verum quoniam huic Astronomiæ parti multi multa temerarie, ac perperam ausi sunt adijcere, adeoq; hanc partem prognostica amplificare voluerunt, vt sit iam res omnino supersticiosa, exosaq; & inuito ab Ecclesia suspecta habeatur, mirumq; in modum a *B. Augustino* damnata in libris de *Doctrina christiana*; propterea nihil omnino de ea nobis dicendum existimo.